UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini, ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Notarivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

Visual Library

natio: si autem pereant, totam mercē ſoluat: ſecundum Archi. Flor. nec obſtat c. nauiganti. de vſu. quia hic nō eſt aliquod mutuū. vt not. Ioan. Cal. ſed hoc fit tantùm ratione periculi. Idem poteſt fieri aſſecurādo pecunias, quas quis portat, vel quas mutuat quis alteri, quòd rehabebit. Idem dic in ſaluo conductu perſonæ, hoc poteſt fieri cū lucro, dūmodò ſeruetur promiſſum. Vſura. §. 8. nec eſt lucrū illicitum, neq; turpe, cùm ad aliquem bonum finem ordinetur.

3 De lucro, quod fit, quando aliqui exponunt ſe fortunæ, dicentes, quid vis ponere, quòd cras pluet, vel talis infrà menſem morietur, & de alijs in quibus tantùm eſt vanitas: dico nō eſſe licitum lucrum: quia non ordinatur ad vtilitatem proximi, ſicut prędicta aſſecuratio, ſed tantùm eſt hic vanitas, ideò illicitum: non tamen tenetur quis ad reſtitutionem ex hoc, ſicut de turpi lucro, quod de conſilio debet dari pauperibus. An autem liceat aſſecurare mercatori illum, qui ponit pecunias in ſocietate, quòd pecunia ſua erit ſalua, & quod lucrabitur quinq; pro centenario, vel huiuſmodi. infrà, Vſura. §. 8 Sil. ver. Negotium. q. 4.

NEMESIS.

NEMESIS, id eſt, triſtitia, quam homo habet de alieno bono temporali, quia talis indignus eſt hoc habere, vt puta, eſt malus homo, & eſt diues, vel bene fortunatus: quando ſe extendit ad arguendam Dei prouidētiam, tanquam iniuſte diſtribuentem bona temporalia, eſt peccatum mortale, vel ſi homo propter talem triſtitiam ita afficitur, vt velit malos imitari homines, mortale eſt. Triſtari autē de huiuſmodi aliqualiter, ſemper tamen cum Dei reuerentia, non videtur peccatum, ſed licitum: ſicut de aliquo monſtro triſtari. ſuprà. Inuidia. per totum, & præſertim ſi propter aliquē bonum finem fiat.

NOMINATIM.

NOMINATIM dicitur, quando alicuius proprium nomen exprimitur, vel quando ita circunſtantiæ indiuiduales exprimūtur, vt dubium nō ſit, de quo dicatur, vt ſi quis tacito nomine proprio, dicāt filium primogenitum Petri de Petro, &c. vel Petrū cum ſuis fautoribus, de quibus fautoribus conſtat notoriè, vel cum dicitur talem villam, cum hominibus illius, omnes de quibus conſtat notoriè eſſe de tali villa, dicuntur nominatim. Vide Inno. in ca. Lateranenſi. de prēben. & Pan. ibi, qui nititur cōcordare glo. in clem. 1. de vi. & ho. cle. & gloſſ. in capit. conſtitutionem. de ſententia excommunica. in 6. & in pœnis requiruntur circumlocutiones valdè ſtrictæ non autem ſic in fauorabilibus, in quibus larga fit interpretatio.

NOTARIVS.

NOTARIORVM peccata ſunt ſi non ſeruant iuramenta per eos facta, ſi falſa conficiunt inſtrumenta in toto, vel in parte, ſi reprobant acta licita, ſi occultant, vel lacerant inſtrumenta protocolla. Hos de mortali in prædictis excuſare neſcio, niſi ſecundum quòd ignorantia, vel deceptio eorum poſſet aliquo modo eos excuſare, vel quando errant in aliquo modico ſine malitia, nec ſunt magnæ importantię. infrà, Tabellio. per totum. Concord. Caieta. in ſumma.

NOTORIVM.

NOTORIVM aliquando dicitur iuris, vt cùm quis iuridicè eſt cōdemnatus, vel cōfeſſus in iudicio, vel legitimè conuictus. ca. veſtra. de coha. cle. Aliquādo dicitur facti, vt cum populus eſt teſtis, & non eſt locus diſſimulandi. c. tua. de coha. cle. nec requiritur quòd omnes de villa ſciant, ſed ſufficit quòd ſint decem graues, & honeſtæ perſonæ, quia decem homines faciunt populum. 10. q. 3. c. vnio. ſecundum gloſſ. Ray. Aliquādo dicitur notorium facti permanentis, vt quando quis publicè tenet concubinam in domo. Aliquando dicitur notorium facti tranſeuntis, vt quia occidit hominem publicè. Aliquādo dicitur notorium facti præſumpti, vt cū quis tenetur communiter pro filio talis viri, vel affine, & huiuſmodi.